



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententia adversaria ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

cidentis ut productio caloris in aqua.

5 Actio substantialis dividitur in creationem, & eductionem: creatio est productio alicuius ex nihilo, id est nullo præsupposito subiecto, ut est productio animæ rationalis, & materiæ primæ.

6 Eductio est productio alicuius cum dependentia ab aliqua potentia materiæ ut productio animæ equi, & formæ lapidis quæ fuerunt productæ ex materia primæ, seu cum dependentia ab illa tanquam à subiecto.

7 Actio accidentalis dividitur in immanentem, & transeuntem, actio immanens est quæ remanet in ipsa potentia à qua oritur, quæque ex suo genere talis est, ut nunquam in alio subiecto fieri possit, ut intellectio, & dilectio, aliæ actiones solent etiam vocari immanentes, quæ tamen non reperiuntur in potentia à qua eliciuntur, manent tamen in eodem supposito, quales sunt productio speciei ab intellectu agente, productio habitus per actum, actio nutritiva, & augmentativa, actio transiens, quæ non remanet in principio à quo oritur, sive transeat in diversum suppositum, ut illuminatio dimanans in aëre, sive in distincta parte, aut potentia eiusdem suppositi, ut calefactio, quæ manus manum calefacit.

8 Item dividitur actio in vitalem, & non vitalem: actio vitalis est, quæ procedit à potentia animæ intrinsece perficiens illam, ut intellectio, visio, &c. actio non vitalis est, quæ à quovis alio principio emanat, ut calefactio.

9 Ultimo dividitur in successivam, & instantaneam: successiva actio est, quæ tempore mensuratur, & non fit simul ut calefactio; instantanea est quæ tota simul, & instanti fit.

10 Secunda conclusio: passio est ratio formalis, actusque secundus, à quo causa materialis seu subiectiva est, & denominatur patiens, & probatur sic.

11 Quia passio est ratio ob quam res aliqua fit ex subiecto, ut causa receptiva influente in effectum; hoc enim fit quoties terminus productus dependet ab alio principio, tanquam à sustentante, & cui communicet suam denominationem formalemque effectum, utrumque enim hoc petit passio, v.g. ignis per calefactionem, quæ est actio producit in ligno calorem, illa calefactio recepta in ligno est passio, quia lignum ex quo educitur calor est principium, à quo sustentatur calor ipse, & cui tribuit denominationem calidi, ideo enim creatio animæ rationalis non est passio, quia anima rationalis, quæ producit per ipsam, non dependet ab alio, ut à sustentante, & ideo, ut bene adnotant Doctores, Verbum Divinum patitur unionem hypostaticam, licet unio denominet Verbum unitum, quia non fit ex ipso.

QVÆSTIO II.

Quid sit situs, & quæ sint eius species.

1 ARIST. 5. met. cap. 19. sic describit situm sub ratione dispositionis, est ordo habentis partes, quæ descriptio sic elucidatur. Situs est quædam dispositio localis, conflurgens in to-

to ex tali partium vicatione, v.g. ex locatione partium omnium hominis in vno loco resultat in illis quidam modus, seu dispositio, ex eo quod vna pars sit extra locum alterius, & vna sit sursum, alia deorsum, &c. quæ dispositio seu ordo partium situs vocatur; unde essentialiter situs petit duo & esse in loco, & rem locatam habere partes, nam licet Angelus, v.g. in loco sit, cum tamen non habeat partes extra partes sursum, & deorsum, non potest habere dispositionem essentialiter requisitam ad situm, & licet ut adnotat Pater Suarez præsentia, seu vbi Angeli sit aliquo modo divisibile, & habeat partes in ordine ad locum, nihilominus cum tota substantia Angeli sit sub qualibet parte illius præsentia, nullo modo potest ei tribui situs, cum situs sit dispositio totius ex ordine partium in loco, res autem spiritualis, ut Angelus minime est totum coalescens ex partibus, & ideo non potest habere dispositionem illarum, quæ situs essentialiter est, nota pro certo habendum esse situm maxime proprie convenire animalibus, in quibus sunt partes diversarum rationum, & figurarum, & ex propria, & intrinseca virtute diversimodi componi possunt, in homogeneis non potest ita adverti hæc dispositio partium, & ideo illis non tam formaliter attribuitur.

Sub hoc prædicamento collocantur hæc species æquæ, vel inæquæ esse flexæ, aut recte cessio, & itatio.

QVÆSTIO III.

Utrum vbi sit denominatio extrinseca.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

PRIMA sententia asserit vbi esse denominationem extrinsecam in locato à loco, & probatur primo.

Quia esse alicubi nihil aliud est, quam esse in aliquo loco: ergo forma huius prædicamenti, quæ res vbiatur, est ipse locus; unde erit denominatio extrinseca, cum locus in locato nihil ponat intrinsecum; forma autem denominandi ipsam entitatem, est proxima, vel remota respectu alicuius sine additione novæ entitatis; ergo esse hic, vel illic cum sit fundamentum illius approximationis, non erit entitas distincta à re, quæ approximata est, vel est alicubi.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur. Nostra conclusio.

Vbi non est denominatio extrinseca, sed intrinseca entitas modalis ex natura rei distincta ab ipsa re vbiata, seu præsentis loco, & probatur.

Primo,